



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Alexētērion id est Historia Pestis**

**Stengel, Carl**

**Augustae Vindelicorum, 1614**

De S. Sebastiano Martyre cont[r]a pestem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49838)

DE S. SEBASTIANO MARTYRE  
CONTRA PESTEM.

Ex ant. M. S. C.

**O** Quam mira refulsit gratia Sebastia-  
nus martyr inclytus, qui militis  
portans insignia, confortauit corda pal-  
lencia verbo sibi collata cælitus. K. C. K.  
Pater noster. Domine exaudi ora-  
tionem.

*Oratio.*

**D**eus qui beatum Sebastianum Mar-  
tyrem tuum in tua fide & dilectione  
tam ardentem solidasti, vt nullis carnali-  
bus blandimentis, nullis tyrannorum  
minis nullisque carnificum gladijs, sagit-  
tis aut tormentis potuit à tuâ culturâ re-  
uocari, da quæsumus Domine nobis mi-  
seris & indignis peccatoribus, eius pijs  
meritis & intercessionibus in tribulatio-  
ne auxilium, in persecutione solatium,  
& in omni tempore tribulationis & an-  
gustix contra pestẽ epidimix remedium,  
quatenus

quatenus possimus contra omnes diabolicas insidias viriliter dimicare, mundum & ea quæ in mundo sunt, omninò despiciere, & nulla eius aduersa formidare, superbiam quoque & vanam gloriam cum omnibus vitijs superare, & quæ à te iussa sunt recta intentione perficere. Per Dominum.

ALIA ORATIO TEMPORE PESTIS.

**N**ON sunt nobis remotæ causæ, Domine Deus, Pater iustissime tantam esse rebellionem omnium ferè creaturarum in vnum hominem, cui (si omnia creationis modo constarent) obedire, & subesse debeant: nunc terremotus, nunc tonitru, nunc eluuiæ, nunc coniunctiones siderũ nocentissimæ, nunc infectio aëris, quotidie noua atque alia audiuntur mala. Sed hæc pæna, quod munificentia tuæ donis abutimur, mandata tua transgredimur, quod minis non deterremur, promissis non allicimur.

Agnoscamus histe castigationibus terrenis hisce nos abducere, ad cælesti

un